



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Homoboni Civis Cremonensis: Ex ea quæ est à Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Cremonensis, viris doctiſſimis conſcripta. Obijt ſanctitate & miraculis clariſſimus anno à partu virgineo 1197. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

*Vide Notat.
C. Baron. in
Martyr.
Rom.*

VITA S. HOMOBONI CIVIS CRE-
monensis: Ex ea qua est à Canonicis Cathedra-
lis Ecclesie Cremonensis, viris doctissimis con-
scripta. Obijt sanctitate & miraculis clarissi-
mus anno à partu virgineo 1197. sequenti verò
11. Calen. Ianuar. ab Innocentio 3. Papa in Ca-
talogum sanctorum maxima cum celebritate
relatus est.

*13. Nouē.
Patria &
parietes eius.*

B Homobonus in præclara vrbe Cremonensi, ex honesta Tucengorum familia, patre mercatore mediocri fortunæ prognatus est. Et quidem parentes eius caelesti quodam mentis præfagio, atque afflatu diuino instincti, ei in sacro Baptismatis fonte Homoboni nomen imposuere: atque ab ipsis incunabulis per sanctè educatum, Christianaque imprimis religione egregiè excultum, ad exercendam, quam ipsi faciebant, mercaturam traduxere. Verum tanta fuit dictorum conuentorumque constantia & veritate, vt nulla omninò augendæ rei cupiditate permotus, neminem vnquam sciens deceperit. Erat insuper summa in adolescente comitas, cum singulari grauitate coniuncta, insignisque morum probitas: ita vt breui omnium ciuium & oculos in sui admirationem conuerteret, & animos ad beneuolentiam alliceret. Progressu deindè temporis parentum consilio, quibus iugiter in omnibus fuit obsequentissimus, virginem duxit vxorem: cum qua castissimè semper vixit.

*Exercet
mercaturam
summa fide.*

Ducit vxorem.

Porro patre eius vita functo, iam sui iuris esse.

effectus, aliam vitæ rationem cogitabat. Igitur qui ab ineunte adolescentia in terris coercerere diuitias cæperat, in cælum thesauros congerere constituit: sermone utique Domini, qui semper eius animo inhærebat, admonitus. Quarè inani sollicitudine augèdarum opum omiſſa, ad diuinarum rerû contemplationem cura omni studioque animum conuertebat: ieiunijs, vigilijs, orationibusque assidue intentus. Rem itaque suam quam mercatura auxerat, cæpit pauperibus erogare, ad eò comiter, benignè & liberaliter, ut cum cæteræ virtutes essent in eo præclaræ, hæc ratio beneficentia principem semper locum obtineret, intantum ut vno omnium ore pauperum pater appellaretur. Vxor autem eius meticulosa, cum videret profusam viri liberalitatè, nihil nõ moliri ut maritum ab hoc sancto opere auocaret. Cuius ille immoderatam sollicitudinè præclara instructione sæpius castigas eam demum ex parte pacatam reddidit: seipsam verò indies magis ac magis ad anteriora extendit.

Frequentabat siquidem Domum Dei Homo bonus; nec id die solùm, sed nocte etiã assidue nocturnis & matutinis precibus intererat. Ut autem Dominus, quanti apud se esset meriti, palmam faceret, contigit sæpenuerò, cum tempestiuus solito ad Ecclesiam properasset, ac paulisper antè fores immorari cogere, valvas templi sponte sua referatas, introitum ipsi præbuisse; obstupescente admodum Aedituo quod verè sciret se vesperi ianuas diligenter obserasse. Nec quidem finito officio è templo recedebat: verum plerunque in oratione rem

*Totum se
confert ad
Deum.
Matth. 6.*

*Benignitas
eius eximia
in pauperes.*

*Quam fuerit
assiduum in
diuino offi-
cio.*

Miraculum.

diuinam, quam Missam dicimus, antè crucem Domini nostri, & imaginem beatissimæ virginis prostratus expectabat. Accidit autem forte, vt eo tempore esset magna annonæ caritas; cumque aliquando ab oratione esset domum reuersus, egeri qui viderant panis canistrum ad eum afferri subito ad eum accurrerunt: quibus ille summa cum hilaritate, dum vxor, quæ sibi maximè repugnabat abesset; maiorem panis partem distribuit: & eodè hora cænæ reperti sunt in arca totidem, quot donauerat panes, longè reliquis & candore & suauitate præstantiores.

aliud.

Cum ex amplo patrimonio, vnicum prædiolum, cæteris diuenditis, & in egenos erogatis, sibi pauperibusque seruasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrere ei mendici aliquot, potum ab eo petentes: quibus vir sanctus summa cum animi alacritate, & frontis lætitia porrexit. At cum exhausti ferè essent canthari, nec propter vxoris morositatem auderet domum reueri, eos aqua repleuit ac benedixit. Vinitores autem se nihil vnquam suauius gustasse asserentes quærebant, vnde tam bonum vinum habuissent. Vir Dei qui optimè norat quid fecisset, arbitratus se derideri, bibit & ipse eximia bonitatis vinum, gratiasque Deo, cuius esset illud opus, maximas egit. Qui verò eum viderant aquam in vasa infundentem, cum & ipsi vinum gustassent, admodum attoniti, insigne hoc miraculum cæteris prædicauerunt.

Item aliud.

His itaque atque similibus quamplurimis illustratus quidem miraculis, sed multo magis

gis summa vitæ puritate ad extremum vsque vitæ tempus insignitus Homobonus, tantam non inter populares solum atque finitimos, sed eos etiam omnes acquisiuit fidem, ad quos *Plerosq; hæreticos vir sanctus conuersit.* longè lateque celeberrima illius fama peruaferat: vt hæreticorum plerique ad sanitatē redirent, & qui nullo prudentū consilio, aut doctissimorū hominū disceptationibus victi, in deprauata iam dudū de fide & religione sententia obfirmato animo obduruērant, eos Homobonus sanctissimis verbis & moribus miraculorumq; frequentia, ab omni errore abductos ad benè beatēq; viuendi rationem traduceret.

Ceterū cum iam adesset tempus, vt tot suarum virtutum & rectè factorum acciperet præmia, more quidem suo matutino officio penitens incolumis interfuit: deindè flexis antè crucem Domini genibus, in Oratione vsque ad horam Missæ permansit. At cum sacerdos Hymnū Angelicū inchoasset, antè crucem, manibus in modum Crucis in terra extensis procubuit, atque sic nemine animaduertente ex mortalitatis huius ergastulo ad immortalē vitam emigravit. Cū autē more suo ad audiendū Euangeliū non surgeret, fuere qui illū sopore oppressum crederēt: volētes itaq; eū excitare, eū è vita excessisse cognouerūt. Volat subito per urbē fama, concurrūt pauperes vndiq; patrē suū maximo cū dolore deplorāt: funusq; cū lachrymis ac eiulatu comitātur: cū ecce virtus Dei in eo se cepit ostēdere. *Celestibus rebus intentus in templo emigrat in caelum.* *Miracula ad funus eius.* Claudi siquidē gressum, cæci visum, muti loquelam, surdi auditū, dæmoniaci liberationē: varijsq; lāguoribus oppressi optatā sospitatē adepti sūt. Anno

*Translatio
reliquiarum
eius.*

autem 1357.7. Calend. Iulij translatum fuit vi-
ri sancti corpus in eam maioris templi subter-
raneanam partem, vbi in marmoreo tumulo cõ-
positum quiescit: præter pauca quædam ossa,
in priore sepulchro relicta, & præter caput,
quod tabernaculo conditum, in ipsius maioris
templi sacrario custoditur.

*Vide Notat.
C. Baron. in
Martyr.
Rom.*

VITA S. LAURENTII ARCHIEPIS-
COPi Dublinensis: Ex ea qua exstat apud V. P.
Laur. Sur. Relatus est in numerum Sanctorum,
ab Honorio, eius nominis tertio, Romanorum
Pontifice: anno eius Pontificatus 10; qui fuit Do-
minici natalis 12.26. iuxta Chron. Genebrardi.

14. Nouẽ.
*Patris eius
parètes eius.*

PONTIFEX Laurẽcius, Deo hominibus
que dilectus, in insula Hybernia claris in pri-
mis natalibus oriundus, patrem habuit Mau-
ricium, matrem Inianobrem, latino sermone,
principis filiam dictam. Et quidem pater tanta
animi generositate claruit, ut non modica Hy-
berniæ pars, quæ Lagènia dicitur, eius ditioni
cesserit. His alijsque rebus felix, subito in maxi-
mum Dermitij Regis incidit odium; cuius ani-
mum ira & furore incensum ut placaret, è qua-
tuor filiis, quos moribus & eruditione ornatissi-
mos habebat, Laurentium ei natu minimum pa-
cis obsidẽ dedit. At Rex inhumanus effera cru-
delitate puerum excipiens, vinctum eum in ter-
ram sterilem & inhabitabilem deportari iussit;
vbi squalore & extrema inopia confectus, iam
iã mortis discrimen subire parabat. Quod simu-
lac pater intellexit, sine mora cõprehensos duo-
decim Regis Dermitij milites morte acerbissi-
ma se delecturum minatus est, ni protinus filium
ẽ misc.

*Laurentius
puer Regi
Dermitij
obsides datur.*